



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

16 Excommunicatio contra sumentes tempore paschali sanctiſimum  
Eucharistiae sacramentum, quando promulgari possit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

levibus ex rebus incutiatur, magis eum contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem. conc. Trid. cap. 3. in princ. de reform. sess. 25. cap. multi, in princ. 2. quest. 1. capit. corripiantur, & ibi gloss. in ver. major. 24. quest. 3. cap. dilecto, §. Et quoniam, de sent. excom. in 6.

12 Ideo ¶ in causis judicialibus quotiescunque executio realis, vel personalis in qualibet parte iudicii propria auctoritate fieri potest, abstinendum est à censuris ecclesiasticis, & procedi debet, primò ad executionem realem; si fieri potest, & deinde ad personalem. Quando verò realis, nec personalis fieri valet, tunc etiam ad excommunicationis pœnam procedi potest. Quod procedit quoque in causis criminalibus, ut dicto c. 3. in causis verò, & non sufficit, quòd extrajudicialiter constet iudici executionem realem, vel personalem fieri non posse, sed necessarium est, quòd constet in actis per relationem nunciij, ut in deci. Congregat. eiusdem sac. conc. super eod. cap. 3. §. an si iudex. Et quamvis excommunicatio lata à iudice ecclesiastico antequàm legitimè constet de impedimenti, vel perturbationibus, quibus prohibetur facere executionem realem, vel personalem, sustineatur, & secundum communem opinionem excommunicationis sententia sit valida, & excommunicatus egeat absolutione; iudex tamen malè facit: & debet servare formam à concilio super hoc traditam, ut fait ab eadem sacra congregatione declaratum, in §. an excommunicatio, super eod. cap. 3.

13 Nefas autem ¶ est sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet; aut mandare

ut latam excommunicationem revocet sub prætextu, quòd supradicta servata non sint, cum non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat, conc. Triden. eod. cap. 3. §. nefas. de reform. sess. 25.

14 Executor verò ¶ in partibus deputatus cum potestate excommunicationem nunciandi, postquam sibi constiterit obligatum excommunicationis sententiam incurrisse, non tenetur servare formam in dicto decreto concilij traditam, quia ante fulminationem sententiæ excommunicationis in curia Romana præsupponuntur huiusmodi diligentia facta, & tunc huiusmodi excommunicatio non intelligitur sub conditione in subsidium executionis realis, vel personalis, congreg. concil. super eodem cap. 3. §. executor in partibus.

15 Si autem duo ¶ sint in forma camerae Apostolicæ in solidum obligati pro eodem debito, si contra unum tantum possit deveniri ad executionem realem, vel personalem, contra ipsum in solidum est executio facienda: quia contra alium, contra quem non potest fieri executio realis, vel personalis ad instantiam creditoris, censura relaxari non potest, ut per eandem sacram congregat. super eodem cap. 3. §. supposito quod.

Nisi facta executione personali, carceratus non esset solvendo, quia in subsidium contra alium ad censuratum relaxationem procedi posset.

16 Adversus ¶ eos, qui temporibus ab Ecclesia statutis ad confessiones, & Ecclesiæ sacramenta accedere negligunt, & pœnas cap. omnis utrisque sexus, de pœnit. contemnunt, licet Episcopis ad excommunic-

nicationem procedere, nisi fortè de proprijs sacerdotis consilio, & rationabili causa hujusmodi perceptio ad tempus dilata sit: & pro satisfactioe eleemolynas pio loco assignandas, pro hujusmodi excommunicatorum emendatione, injungere potest, congreg. concil. *super dict. c. 3. §. an adversus.*

17 Excommunicationes ¶ autem, quæ in monitionibus præmissis, ad finem revelationis ut ajunt pro deperditis, seu subtractis rebus fulminari solent, *de quibus per Barr. in const. ad reprimendum in vers. denunciatio, & Neviz. in sylvest. nupt. in vers. 19 monitoria*, auctoritate ordinaria à nemine, præterquam ab Episcopis, decerni, & promulgari possunt, & non aliàs, quàm ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ ejus animum moveat, *ut in eod. c. 3. §. quæ propter, sess. 25.*

Appellatione autem Episcopi hoc casu 20 venit etiam Vicarius generalis, qui potest concedere litteras monitoriales, *de quibus in eadem cap. 3. ut fuit decisum ab eadem sacra coongreg. sub tit. Senen. & sub titulo Elboren.*

Nec Vicarius generalis indiget speciali mandato Episcopi, ut possit decernere hujusmodi litteras, dummodò ipsemet Vicarius causæ cognitionem adhibeat, *ut ibidem per eandem sacram congregationem, §. ab episcopo.* Et est ratio, quia ¶ inter Episcopum, & Vicarium repræsentatur unum, & idem tribunal, & consistorium, *c. 2. de consuetud. in 6 c. Romana, de appell. eodem lib. & Rot. decis. 9. de offic. Vicariatus in antiqu.* Eademque potestas competit capitulo sede Episcopali vacante, ut ibi per eandem congreg. §. *an eadem potestas*, quia

capitulum sede vacante in jurisdictionibus jure communi spectantibus Episcopo succedit, *Abb. in cap. verum numer. 9. de form. comp. & Felyn. in cap. eum olim, numer. 3. de major. & obed.*

Cæteri autem Prælati, etiam nullius diœcesis Episcopis inferiores, qui ante concilium Tridentinum monitoria, & illarum vigore excommunicationes concedebant, jure proprio, aut ex privilegio, vel ex immemorabili consuetudine litteras monitoriales post concilium concedere non possunt.

Idèd, qui sunt nullius diœcesis, nec alicui Episcopo, sed immediatè sedi Apostolicæ subiecti sunt, ipsam Sedem pro his excommunicationibus in forma: significavit, obtinendis, adire oportet, congreg. concil. *in decis. super eodem cap. 3. sub tit. Aquilan. Theatin. & in §. decernentur etiam.*

Et, ¶ quando hoc casu litteræ in forma: significavit, Episcopis vicinioribus committuntur. causæ, quæ earum litterarum, & propalationum desuper factarum occasione oriuntur, sunt à proprijs iudicibus, etiam inferioribus, terminandæ, ut ab eadem congregat. fuit *super eod. c. 3. decisum, ut in decis. sub tit. Squillacen. & in §. sed facta relatione.*

Et ex his infertur, quòd Episcopi, eorumque Vicarij vigore propalationum in exonus conscientiæ à quibusvis prævia litterarum monitorialium publicatione factarum, non possunt causas illas cognoscere, nisi inter subditos suæ ordinariæ jurisdictioni, quòd verò ad alios subditos jurisdictioni inferiorum, aut laicali, suis iudicibus ordinariis sunt cum propalationibus remittendi, ut contra ipsos via ordinaria,